



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxix [i.e. i]. Prædicamenta sunt decem, in ijs statuitur directè ens unum
per se, reale, totum, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

DISSERTATIO TERTIA

De divisione entis in 10. prædicamenta.

I. **P**Rædicamentum est series seu ordo prædicatorum minùs & magis communium ab aliquo supremo genere ad ultimum usque individuum deductus. In eo ea dicuntur poni directè, quæ collocantur in linea media, nimirum genera & species; indirectè, quæ stant in linea laterali, ut differentiæ: reductivè, quæ nec directè, nec indirectè in eo ponuntur, spectant tamen aliquo modo ad ea, quæ directè in prædicamento ponuntur. Ad hoc, ut quid directè ponatur in prædicamento, debet esse vox seu terminus significatione simplex, habens aptum significandi modum: debet esse ens per se, id est, vel ens simplex, vel compositum ex partibus pertinentibus ad idem prædicamentum, qualia adhuc sunt, habitus, etsi præter vestes dicat earum ubicationem, & relatio dicens fundamentum, terminum & rationem fundandi, cum sint logicè adhuc entia

entia per se, & in ratione denominandi quid unum, concipianturquē in ordine ad prædicationem per modum unius: debet item esse quid reale & totum, sive non exigens ordinati ad physicè componendum cum alio ens unum per se, qualia sunt caput, pes, oculus &c. facta per abscissionem talia tota: item genera; hæc enim, etsi prædicentur incōplete, componanturq; metaphysicè, physicè tamen non componunt; imò, excepto summo genere, omnia respectu superiorum sunt species, adeoq; quid, etiam metaphysicè, cōpletum. Differentiæ verò à directa linea excluduntur, non quod componant, sintquē metaphysicè quid incompletum, sed quod habeant se per modum formæ determinantis, & quod nullo generi directè subjiciantur. Verum hæc conditiones magis ex arbitrio sic ordinantium, quàm ex natura rei requirantur.

II. Substantia, pro ut opponitur accidenti physico, est ens per se. Ens per se illud est, quod vel primariò à natura intenditur propter se; vel propter aliud primariò à natura intentum, à quo ipsum adæquatè non distinguitur; sicut materia & unio